

Die Sentenz von 1311 Oct. 1 (Böhmer 'Acta' 442 n. 635) wurde 1339 Sept. 28 transsumiert und hat folgenden Notariatsvermerk:

(S. N.) Ego Hvbaldus filius condam Frenecti notarii de Sancto Pietro Vallishere civis Pisanus imperiali auctoritate notarius atque iudex ordinarius autenticum huius sententie scripte in Actis et gestis dicti serenissimi principis domini Henrici Dei gratia Romanorum regis semper augusti per Leopardum Frenecti de Pisis notarium camere^a dicti domini regis non vitiatum, non corruptum, non abrasum nec in aliqua parte sui abolitum vel cancellatum vidi et legi una cum infrascriptis notariis de verbo ad verbum coram nobile et sapiente milite domino Tebaldo de Guarinis de Fabriano Pis(anorum) potestate et una cum infrascriptis notariis et testibus fideliter adscultavi et ipse idem dominus Pis(anorum) potestas una mecum predictam sententiam cum dicto autenticho adschultavit et vidit non abolito vel vitiato in aliqua parte sui, ut supradictum est. Ideoque de verbo ad verbum nichil addito vel diminuto decreto et auctoritate predicti domini Pis(anorum) potestatis et mandato pro tribunali sedentis in hiis interpositus fideliter, ut dictum est supra, exemplavi. Et quia dictus dominus Pis(anorum) potestas una mecum predictam sententiam cum dicto autenticho in omnibus concordare invenit et dictum autenticum esse sine aliquo vitio, eius mandato, decreto et auctoritate ipsam sententiam publicavi et autenticavi et ad futuram rei memoriam signum et nomen meum apposui. Que adschultatio, lectura, visio et exemplatio et autenticatio, decreti et auctoritatis interpositio facte fuerunt in presentia suprascripti domini Pis(anorum) potestatis et eius decreto et auctoritate, ipso pro tribunali sedente in presentia infrascriptorum notariorum et testium, videlicet domini Barthali de Saxoferrato iurisperiti et Antonii notarii quondam Antonii de Fabriano officialium predicti domini Pis(anorum) potestatis, ad hec vocatorum et rogatorum.

Actum Pisis in palatio Pis(ani) comunis, ubi presidet predictus dominus Pis(anorum) potestas. Presentibus infrascriptis notariis et presentibus suprascriptis domino Barthalo et Antonio testibus ad hec vocatis et rogatis. Dominice incarnationis anno millesimo trecentesimo quadragésimo, indict. octava, quarto Kalendas Octubris secundum cursum Pisanorum.

a) 'camere' Or.